



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de vera dei Invocatione.
3. Themat. (1) de verbo dei (2) de deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De clavis regni coelorum.
8. De precibus capituli doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelii.
10. De persona Christi, de unione personarum in Christo, de unione  
sui communitate: veram praesentiam corporis et  
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Exorcismo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur benedictio etc.
2. Luc. 29. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
3. Matt. 24. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
5. Cor. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
6. 1. Cor. 13. Unde dicitur quod dicitur quod etc.

I.

12

DISPUTATIO.

DE PECCATO ORI-  
GINIS, EX VERBO DEI,  
IN ACADEMIA  
IENENSI.

CONTRA  
MANICHÆOS.

*Ad diem 5. Martij Anno 1572.*

IVSSV ILLUSTRISSIMI DV-  
CIS SAXONIÆ publicè, Deo Re-  
gente & benedicente instituta,  
præsidente D. Iohanne VVi-  
gando Superintenden-  
te, & Professore  
Theologiæ.

IENÆ

*Ex officina Donati Ritzenhani.  
Anno Christi 1572.*

DISPUTATIO

DE PECCATO ORIGINALI

GENITIS, REXNERI, BODENI

INNOVATIONIS

TRACTATUS

COMITIS

WILHELMI

MAGISTRI

IN SENATU

CIVITATIS

GENITIS, BODENI

PROFESSORIS

THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

LEIPZIGAE

1772

Ex officina D. J. R. R. R.

Anno Christi 1772



DE  
PECCATO ORIGINIS  
PROPOSITIONES EX  
VERBO DEI.

I.

**D**olendum & deplorandum est, homines post lapsum tam horribiliter corruptos, & depravatos esse, ut sui ipsius malum seu damnum, vel non videant, naturaliter, vel licet aliquid videant ex verbo DEI, tamen multi non maneant in metis verbi diuini, ac portenta opinionum horribilia petulantur confingant.

2. Ethnici quidem aliquam vident turpitudinem & maliciam in natura hominis, sed vnde sit, & quantum sit illud malum, quantasque pœnas commeruerit, aut quonam modo sanetur ac tollatur, acie mentis humane sine verbo Dei, perspicere nequeunt.

3. Itaque in ea sunt opinione, Naturam humanam semper talem, hoc est, magna malicia & imbecillitate repletam fuisse, nec iudicant ea mala, quae sunt in hominis Natura, esse peccata, & quidem talia, quae aeterna Dei ira & morte digna sint.

A ij

4. Disci

4. *DISCIPLINA* igitur & institutione rationali, conantur hæc mala Naturæ humanæ sanare, verum cochleari quod dicitur, mare exhaurire frustra tentant. Nam rectè dixerunt veteres, Naturam expellas furca, tamen usq; recurret. Politica præterea sapientia & mores in vita mediocres, non tollunt mentis tenebras, non faciunt cor spiritualiter novum, non gignunt veram Dei noticiam & cultum, non adimunt iram Dei & mortem.

5. *IN* Ecclesia autem præter securos non attendentes peccatis, quorum quidem semper est maxima multitudo, etiam Hæretici hanc doctrinam conuellere tentarunt, quorum sunt præcipuè duo Duces, Pelagius nimirum & Manichæus cum suis cohortibus, ut de cæteris in præsentia non addam.

6. *PELAGIANI* dixerunt, absq; peccato etiamnum homines in hunc Mundum nasci. Naturam prorsus bonam esse, ab omni impuritate immunem. Imitatione autem sola, nimirum ad exemplum Adæ, homines fieri peccatores.

7. *MANICHÆI* in alterum extremum, impingunt, asserendo, peccatum Originis initiò esse conditum à Deo malo. Item peccatum Originis esse Substantiam, nec esse Accidens vitium, ut Augustinus hunc Manichæorum errorem annotavit.

8. *IAM* verò Pontificij & Synergistæ, ad Pelagia

gia

gianos sese inclinant, dum illi quidem assenserant, Naturalia mansisse integra, & hi contendunt, hominem sua Naturali vi, in rebus Spiritualibus posse annuere, assentiri nonnihil, habere modum agendi & capacitatem, actiuam scilicet iuxta modum illum agendi.

9. Illyricus autem & eius adstipulatores, publicis libris Manichæorum deliramenta resuscitant & augent, dum digladiantur, peccatum originis esse Substantiam, & non Accidens.

10. Sunt autem eiusmodi furores nequaquam à Deo, sed à malo Spiritu, qui homines lapsos in peccatum, & horribiliter spoliatos ac deprauatos falsè ridet.

11. Eius est, vt lux doctrinæ de peccato originis in Ecclesia Dei extinguatur. Deinde, vt plura Monstra rerum & verborum ebuccinentur, turbentur simpliciores, monstrosæ naturæ materiam insaniendi accipiant, & cumulentur plura peccata iram Dei & calamitates maiores attrahentia.

12. Etsi autem Deus permittit talia portenta errorum grassari, propter hominum impietatem, fastidientium sinceram Euangelij doctrinam, tamen etiam hanc ob causam sinit tam crassa deliramenta spargi, vt pij quasi ex securitatis somno excitati, veram de his rebus doctrinam ex verbo Dei diligentius & solertius inquirent, ardentius contra eiusmodi prestigias orent, & ag-

noscant puritatem cœlestis doctrinæ, singulare & eximium Dei donum esse, & maiori cura integritatem doctrinæ, ac depositum sacri thesauri custodiant, publicè profiteantur, & ad posteritatem transmittere studeant.

13. *V*T igitur lux veritatis patefacta de hoc Articulo inter nos quoq; piè retineatur, & rectè cognoscatur, fons malorum omnium exundantium in vniuersum genus humanum, vera fundamenta è fontibus Israel, hoc est, ex verbo Dei comprehenso in monumentis Prophetarum & Apostolorum, dilucidè repetenda, & contra Pelagianorum ac Manichæorum deliramenta constanter defendenda sunt.

14. *E*T si autem Draco ille infernalis, turpes ranas agminatim euomit, & vndarum quasi diluuiò effuso, confessores intemeratæ veritatis conspuere atq; delere nititur, tamen veritatis diuinæ Confessio nequaquam deserenda est.

15. *L*Vceat igitur sacrum iubar verbi diuini contra ingruentes errorum tenebras, vt piij omnes Deo dante in clara die rectè ambulent, & exterminetur atq; profligetur Manichæum dogma, vt impium & blasphemum, ex pectoribus omnium seriò timentium Dominum, & ex hac Christiana Schola atq; Ecclesia.

16. *S*ic igitur *κρίσις* primum in hac controuersia,



sia, ipsum Dei verbum, quod est Norma Iudicij recta, de quo in presentia potissimum agemus.

17. DEinde & Testimonia veteris Ecclesiae, quibus Manichaeorum dogmata sunt impugnata, de quibus in secunda disputatione praecipue tractabitur.

18. TERTIO & S. Lutheri institutio, de qua in tertia disputatione, perspicue Ecclesia Christi monebitur.

19. ORamus autem filium Dei, ut per Spiritum sanctum, quem nobis suo precioso sanguine peperit, in ipsam veritatem nos recta deducat, ac in ea benigne conseruet, atque efficiat, ne haec opera in laudem Dei, & Ecclesiae utilitatem suscepta, sit inanis.

20. PEccati vox, quod extra omnem est controversiam, interdum in genere ponitur de peccatis, tum Originali tum actuali, ut Concluserit scriptura omnia sub peccatum. Galat. 3. Traditus est propter peccata nostra. Roma. 4. Interdum vero in specie de Actualibus, uti vocant peccatis usurpatur, ut peccatum suum quasi Sodoma praedicant. Esa. 3. Et sic etiam interdum de Originali tantum ponitur, ut Roma. 5. Peccatum introijt in mundum.

21. Interdum vero & pro reatu, seu re rea usurpatur, ut. 2. Cor. 5. Eum qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, hoc est, Christus factus est reus peccatorum omnium nostrum, imputatis ei peccatis nostris, non aliter ac si ipsemet commisisset & meritis esset tantas poenas & mortem.

A 4

22. por.

22. Porro, ut alia vocabula breuitatis gratia hic  
omittamus, Paulus peccata nominat Ἀμαρτία, Item, ἁμαρ-  
τία καὶ ἁμαρτία. Nam Lex est Norma pietatis & Iusti-  
cia, quam Deus ab hominibus exigit. Et ex lege cog-  
nitio peccati est. Roma. 3.

23. Sed ad scopum propius collimemus, ac de  
peccato Originis nostram, regente Spiritu sancto dispu-  
tationem instituamus,

24. Peccatum Originis, ad differentiam Actua-  
lium, appellatur, quia ut rectè Lutherus inquit, non fit  
à nobis, sed ex parentibus Naturalibus innascitur nobis,  
& propagatur in omnes nascentes ex mari & foemina  
in hoc mundo. Hinc etiam hæreditaria lues à scriptoribus  
Ecclesiasticis nominatur, & Lutherus lepram natura-  
lem hanc ob causam dixit.

25. Longius petita est ea deriuatio, vocari scilicet  
Originis peccatum, quia ex eo omnis generis peccata ve-  
luti ex fonte scaturiunt. Verùm cum sensus iste non pug-  
net cum Analogia fidei, sinimus unicuique suum esse pul-  
chrum.

26. Paulus appellat Ἀμαρτία, quæ INTRAVIT.  
Respectu enim primi hominis, hæc fœda pollutio atq; cor-  
ruptio intravit in eum, & sic per eum INTRAVIT  
ἐἰς πάντα τὰ ἄνθρωπος, inquit Apostolus. Roma. 5.

27. Vocat & bis ἡμῶν ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία. Pecca-  
tum

tum in me habitans. Non tantum autem domesticum & intestinum peccatum nominat, id quod diligenter notandum est, sed quod in se habitet. Ac sanè malus & grauis ille hospes est, vt qui totum hominem peruaferit, atq; omnes partes eius occupauerit atq; corruerit, ne quis hospitem leuem, lenem aut ociosum hic somniet, aut Paulum nostrum, vt faciunt nonnulli Manichæi, propter hanc phrasin, exhiberet aut flagellet.

28. **ET** ad Hebræ. 12. ἐν περιπατοῦ ἀμαρτίας, Lutherus die Sünde so vns anflebet

29. **EST** autem peccatum Originis, carentia iusticie Originalis debite inesse, & reatus propter lapsum primorum parentum, & corruptio totius humane nature, quæ in omnes nascentes ex mari & fœmina propagatur, propter quæ mala omnes rei sunt iræ Dei, temporalium & æternarum pœnarum, nisi fiat per Christum remissio. Fontes huius definitionis sunt illustria dicta, Psal. 51. Roma. 5. 7. Et similia.

30. **IDEM** dicit Augustana Confessio, definiens peccatum Originis esse defectum & concupiscentiam, & allegat Thomæ dictum, peccatum Originis habet priuationem Originalis iusticie, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, vnde non est priuatio pura, sed quidam habitus corruptus. Item Bonauentura citatur, qui vocat concupiscentiam immoderatam, & Hugo,

**B**

qui

qui dicit peccatum Originale esse ignorantiam in mente,  
& concupiscentiam in carne.

31. **S**Ed ad definitionem rectius intelligendam, ne-  
cesse est paulò altius & planius, quæ ad eius propriam &  
perspicuam explicationem pertinent, repetere.

32. **V**Num & idem est peccatum Originis, in re-  
nato & nondum renato, tantum verò in eo est differen-  
tia, quod in renatis sit remissum fide in Christum, & sit  
inchoata novitas per Spiritum sanctum, per quem etiam  
renatus, illi peccato subinde se commouenti resistit. Non-  
dum verò renatus, totus est captiuus peccati Originis.  
Neq; enim peccatum Originis, in eo remissum est, neq; per  
Spiritus sanctum inchoata est spiritalis novitas.

33. **N**On autem docent sacrae literæ, quod peccatum  
sit ab æternò. Nam solus Deus est æternus.

34. **N**Ec docent, quod peccatum Originis sit con-  
ditum inter opera sex dierum initiò. Nam peccatum  
Originis per se malum est. At Deus condidit omnia quæ-  
cunq; fecit, **BONA**, hoc est, voluntati suæ consen-  
tanea, & destinata ad bonos vsus.

35. **E**Rgo non potest dici peccatum Originis Sub-  
stantia, vel æterna, ne Deum æternum ex peccato Ori-  
ginis faciamus: vel condita, in primo rerum exordio  
scilicet, quia ibi nullum habet locum peccatum.

36. **ET**

36. *ET* immota est sententia Psalmi 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Item, odisti omnes qui operantur iniquitatem. Non igitur vult, non efficit, non approbat peccatum Deus.

37. *D*Amnamus itaq; veterum Manichæorum blasphemiam, quod Deus malus, malas res, inter quas etiam sit peccatum, initio creavit. Bonus verò Deus, res bonas effecerit. Est enim vnicus duntaxat verus Deus, qui fecit omnia, & quidem bona omnia teste seu creavit Mose Gene. 1.

38. *L*Egimus autem in sacris literis, primum authorem peccati esse Diabolum, teste Christo Ioh. 8. In veritate inquit, non stetit, & Iohanne, Ab initio Diabolus peccat. 1. Ioh. 3.

39. *D*Einde ex Mose discimus, impulsu Sathanæ, sine voluntate, iussu, impulsione, comprobatione Dei creatoris, homines primos, Adamum & Euanam, peccatum commisisse Gene. 3.

40. *I*Mò Deus vti seuerissimè prohibuerat, ita grauissimè mox accusabat peccatum illud primum & peccatores ipsos, eosq; temporalibus atq; æternis pœnis iure suæ legis subiciebat. Gene. 3.

14. *S*ED additur mitigatio & auxilium ex misericordia *D E I* propter venturam victimam, de qua  
B 2 quidem

quidem re decretum cæleste paternè reuelatur. Hæc igitur est vox Euangelij de Christo, & remissione peccatorum per ipsum.

42. PECCAVIT autem Eua & Adam, non tantum oculis intuendo poma, aut auribus Satanae sermonem audiendo, aut manibus poma illa contrectando, aut dentibus mordendo, aut gula deuorando, sed mente etiam & voluntate & corde assentiendo mendaci isti Spiritui, relinquendo verbum Dei, hosti ipsius Dei sese committendo. Totus igitur homo, anima scilicet & corpore in hoc facto, peccauit contra Deum conditorem suum, & ipsius sacrosanctum mandatum, qua de re aliàs copiosius.

43. HÆC  $\pi\alpha\rho\rho\acute{\alpha}\sigma\alpha\sigma\iota\sigma$  primorum parentum, non tantum iram Dei grauissimam, & pœnas temporales atq; æternas attulit, sed etiam in effectu euestigiò expoliationem atq; amissionem Imaginis diuinæ in rebus Spiritualibus, nempe Iusticiæ & sanctitatis, accersuit, ac vicissim fœdam iniusticiam & impuritatem in corpus & animam intulit, ita vt immundicia horribilis totam hominis Substantiam peruaserit & occupauerit.

44. HÆC est illa Nuditas, hoc est expoliatio, & simul horrenda deformitas, de qua primi homines miserabiliter quæerulantur, ac lamentantur, & propter quam à conspectu Dei abhorrebant. Gene. 3.

45. CVM autem Deus post lapsum Adæ & Eue, nolue-

noluerit pro suo iustissimo iudicio, Substantiam Adæ & Eue seu indiuiduum mox abolere penitus, atq; alios homines in ipsorum locum condere: Item, cum noluerit statim impuritatem illam totius Substantiæ ipsorum, quæ peccatum subsequuta fuerat, funditus extirpare, plenamq; eis vicissim Imaginem sui restituere: Nec voluerit mutare rationem & ordinem propagandi genus humanum, ante lapsum à se institutum: Itaq; ex talibus impuris, immundis, iniustis parentibus, nascuntur impuri, immundi, iniusti fœtus.

46. *M*Ateria ex qua homo iam Naturaliter, hoc est, ex mare & fœmina, nascitur, est immunda. Ergo talis quoq; est Substantia hominis, scilicet immunda, ira Dei & pœnis temporalibus atq; æternis digna, Gene. 3. 4. Ephe. 2. Erasmus Natura filij iræ.

47. *H*Oc igitur esse seminarium, vt sic vocem, peccati Originalis, luculenter docet Paulus Roma. 5 per *VNUM* hominem peccatum in hunc Mundum *INTRAVIT*, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransijt, eò quod omnes peccauerunt.

48. *O*Mnes igitur homines, quotquot Naturaliter ex viro & muliere nascuntur in hunc Mundum, Substantiam peccato Originis immundam, pollutam, depravatam in hunc Mundum afferunt, vt & Psal. 51. testatur. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Iob. 25. Nunquid

iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere  
Mundus natus de muliere?

49. **D**Annamus igitur iuxta Censuras Ecclesie  
veteris, Pelagianos, qui contra scripturam sacram, &  
omnium hominum experientiam delirant, Naturam hu-  
manam absq; contagio peccati Originalis nasci ex paren-  
tibus.

50. **N**Am morbi infantum in utero, & mox edi-  
torum in hanc lucem, malicia, calamitates & miserie in-  
numerae, & mors testantur luculentissime, Naturam hu-  
manam esse immundam.

51. **R**epudiamus & Sacramentarium errorem,  
quod sanctorum liberi magis ad promissionem gratiae per-  
tineat, quam Ethnicorum, ac sit in eis baptismus ma-  
gis obsignatio foederis, quam medium quo regenerentur  
eisq; promissio Euangelij applicetur.

52. **D**Annamus & Scholasticorum errorem gra-  
uem, Naturalia post lapsum mansisse integra.

53. **H**ic autem sacrae literae & omnes Orthodoxi,  
accurate docent discernere, inter opus Dei, & pecca-  
tum, inter creationem hominis in hac propagatione, &  
immundiciem hominis.

54. **N**Am immota doctrina verbi diuini est, Deum  
etiannum creare, formare, condere homines, dare eiis  
animam & corpus, hoc est Substantiam, qua sunt homi-  
nes,



nes, id est Creaturae eius, in quibus personaliter unita  
sunt corpus & anima. Psal. 100. Ipse fecit nos, & non  
ipsi nos. Psal. 127. Ecce hereditas Domini filij sunt, &  
sequens Psalmus vocat benedictionem Domini. Iob. 10.  
Manus tuae Domine fecerunt me, & plasmaverunt  
me &c.

55. IMMota etiam sententia est, Diabolum non  
creare, formare, condere Substantiam hominis, nempe  
corpus & animam. Non enim est Deus. Sed Paulus in-  
quit, Qui creat omnia Deus est Hebrae. 3. Quidquid igitur  
est Substantia, & quidem creata Substantia, id  
est à Deo, iuxta Apostolum.

56. IMMota & haec sententia ex verbo Dei est,  
Deum in posteris Adæ non condere, non formare, non  
velle, non approbare peccatum, siue Actuale siue Ori-  
ginale appellatur, quia hoc foret contra Bonitatem &  
Iusticiam Dei, &c.

57. Vnde igitur est peccatum, quod omnes poste-  
ri Adæ, Naturaliter propagati, habent, in corpore &  
anima sua? Respondet Paulus, ex Adam INTRA-  
VIT in omnes homines. Roma. 5. Non inquit ex Deo  
intrauit.

58. ERgo Manifestum est, Ex immundicie, ex  
lue, ex impuritate parentum, impuritatem hanc,

B 4 que

quæ dicitur peccatum Originis, in liberos deriuari, atq;  
effluere iuxta Paulum. Et Oseas inquit, perditio ex te est.

59. **N**Am quia homo formatur ex semine paren-  
tum. Semen autem illud parentum est immundum, non  
quidem ex Deo, vt iterum atq; iterum repetendum est,  
sed ex Adam, & sic consequenter ex posteris eius. Proin-  
de peccatum Originis ex parentibus est, quia ex ipsis se-  
men est, quod vt diximus immundum est. Nec potest,  
nec debet Deus perhiberi peccati Originalis vel Crea-  
tor, vel propagator.

60 **P**ropagat enim & creat Deus Naturam hu-  
manam, non peccatum, quod ex parentibus est.

61. **H**omo quatenus homo est, à Deo conditus est,  
peccatum autem Originis à Deo non est. Non enim est  
homo, quatenus peccatum Originis in eo est, sed quate-  
nus corpus & animam habet.

62. **N**atura vt sæpius inquit Augustinus in suis  
contra Manichæos scriptis, à Deo est, sed vitium eius à  
Diabolo est. Nam is hominem perdidit.

63. **S**Vnt igitur blasphemæ in **DEVM** voces,  
quas recentes Manichæi interdum ore, sicuti nos ipsimet  
audiuimus, ebuccinant, peccatum Originis creari, effici,  
propagari & sustentari à Deo. Quid potest dici horri-  
bilius? Nulla glossa quantumuis audaci hæc verba ex-  
cusari possunt. Sed non mirum est, eos in eiusmodi blas-  
phemias

phemias voces erumpere, qui tanta audacia & pertinacia asserunt, peccatum Originis esse Substantiam.

64. Talis & altera illa blasphemia est, scriptis prolata, Deum iam quoque omnia Substantialia & Accidentalialia in homine, mala & bona qualiacumque ea sunt creare. An non hæc sunt monstrosa portenta, à nullo rectè sentiente Doctore in Ecclesia Dei unquam audita, Sed tantum in recentium Manichæorum Schola nata & prolata.

65. Rectè igitur dicit Paulus, peccatum intrauit in OMNES homines, nec tantum intrauit in Adam. Rectè etiam sentiunt & loquuntur Orthodoxi in Ecclesia Christi, peccatum accessisse ad Naturam humanam, & accedere adhuc ad Naturam humanam, ex hominibus quando Substantiam hominis, hoc est, corpus & animam, creat, format, propagat Deus omnipotens, non quidem extrinsecus, quia iam est in parentibus, sed quia semen parentum, ex quo homo formatur, vitiatum est peccato, non à Deo, ut dictum, sed ex hominibus.

66. Conseruat quidem Deus Naturam humanam, in qua est peccatum. Sed non est autor, non approbator, non propagator, non conseruator peccati.

67. Nam Christus purgat potius peccatum ex Natura humana per regenerationem, ut postea dicendum erit. In hoc quidem sæculo per Spiritum sanctum incho-

C

atiue

atiuè , in resurrectione verò funditus & omninò aufe-  
ret. Matth.19.

68. Sicut quidem Deus peccatum Originis tam te-  
naciter in Natura humana inesse , tanquam pœnam pec-  
cati in paradiso commissi , sed tamen non potest propriè di-  
ci, Deum conseruare peccatum illud , aut creare , aut pro-  
pagare , sed manet in Natura , quæ tantopere corrupta  
est , vt in hac vita , licet inchoetur nouitas , tamen non  
penitus mundificetur.

69. Totam autem hominis Substantiam , hoc est  
corpus & animam , peccatum illud Originis penetravit ,  
occupauit , corrupit , deprauauit cum omnibus viribus , vt  
supra adstruximus , ita vt nihil sani sit in homine toto ,  
propter hanc luem , à planta pedis vsq; ad verticem

70. Non itaq; fingendum est , quod peccatum Ori-  
ginis sit aliquid extra hominem. Sicuti enim lepra mor-  
bus , non est aliquid existens aut subsistens extra corpus  
hominis : Ita & hæc malicia siue iniusticia Originalis  
non est aliquid , seu aliqua Substantia extra Substanti-  
am hominis , imò nec est Substantia in ipso homine , sed  
est MALVM vt Paulus nominat , in homine , id est in  
hominis Substantia habitans , cui quidem grauissimo testi-  
meritò fides habenda est. Item est lues , est vitium , est le-  
pra , est malicia , est iniusticia , est corruptio in Sub-  
stantia

stantia hominis, ut Orthodoxi veteres atq; recentes lo-  
quuntur.

71. Non igitur peccatum Originis, in cute saltem  
extrema hominis, adhæret, ut color, ut aspergines ru-  
bræ aut luteæ: Non capillis duntaxat incumbit, ut  
corona in capite puellæ: Non in carne tantum hæret ut  
lepra, (licet secundum quid rectè à Luthero lepra voce-  
tur:) Non obsidet solummodò homines, ut Diabolus  
sua Substantia, permittente Deo, homines occupat:  
Sed vniuersam hominis Substantiam, hoc est corpus  
& animam eius ita peruasit, ut nihil prorsus in Sub-  
stantia & viribus hominis sit, quod peccatum Originis  
non penetrauerit atq; vitiauerit.

72. Non tamen peccatum Originis ipsum, est Substan-  
tia, aut Natura humana. Nam Natura, in quan-  
tum Natura, teste verbo Dei & omnibus sanis scrip-  
toribus in Ecclesia Christi, est à Deo. Peccatum  
Originis est viciū, quod intrauit in Adam, & inde  
ex hominibus in posteros. Roma. 5.

73. Quando igitur peccatū Originis consideratur, rectè  
monet Apologia Augustana, & omnes sani atq; intelligen-  
tes doctores Ecclesie Christi, hæc expendenda esse, & qui-  
dem coniunctim. Carentiam nimirū Iusticie debitæ inesse.

Reatum propter lapsum primorum parentum, Et corruptionem totius Naturæ humanæ, quæ quidem mala in omnes posteros exundant.

74. Primos homines, ex quo propagandum erat genus humanum, accepisse à Deo iusticiam & sanctitatem in corpore & anima, ac summam omnium virium integritatem, nemo in Ecclesia quidem Christi ambigit.

75. NAM conditus est homo ad imaginem Dei, ut nimirum in tota hominis Substantia luceret sapientia illustris de rebus diuinis & humanis, iusticia & sanctitas, vita pura & beata, ac dominium supra Creaturas, ipsi pro iudicio Dei subiectas Gene. 1. 2.

76. ACceperunt autem hæc excellentissima bona à Deo creatore suo, non sibi aut pro sese tantum, hoc est, ut ipsi soli hisce bonis fruerentur, sed ut propagarentur in omnes posteros, quotquot unquam pro Dei beneplacito, in hunc Mundum nascituri erant. Huc enim pertinet Benedictio diuina. Gene 1.

77. SED quia lapsum in Paradiso commissum, ilicò subsecuta est expoliatio summorum bonorum, & corruptio horribilis in corpore & anima. Itaq; non potuerunt sanctos & puros homines ex suo semine, quod erat deprauatissimum, procreare aut generare. Hinc est illa tristis vox, Adamum genuisse liberos iuxta suam Imaginem, id est qualis tunc post lapsum erat effectus.

78. OM.

78. OMnes nos igitur, qui carnali propagatione in hunc Mundum nascimur, carere gloria Dei, Paulus Roma. 3. clara voce pronunciat, idq; non tantum respectu actualium peccatorum, sed etiam Originalis peccati. Nam Cap. 1. Dixerat, Iram Dei reuelari super omnem Impietatem & Iniusticiam hominum. Nemo autem inficias ibit, in Ecclesia Dei quidem, quin peccatum Originis sit Iniusticia.

79. ERat autem summa Gloria hominis integri, Iusticia & sanctitas, quæ in anima & corpore hominis, omnibusq; viribus lucebat, & lucere in omni posteritate debebat.

80. HAC igitur gloria, omnes posteri Adæ, carnaliter, uti dictum propagati, carent. Opponitur autem gloria, Ignominia, quæ successit, de qua docebunt sequentia.

81. OMnes etiam Mortales, esse reos iræ Dei & pœnarum temporalium, atq; æternarum, propter lapsum primorum parentum, testatur verbum Dei, & calamitates multiplices, quæ omnes homines attingunt.

82. NAM Paulus inquit, peccatum per vnum hominem, in omnes homines intrasse. Item Mortem regnasse ab Adam vsq; ad Mosen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. Item adhuc clarius, per vnius delictum inquit, in omnes homi-

nes in condemnationem. Lutherus annotat, peccatum A-  
de nostrum proprium factum esse

83. *ET* si autem Ratio humana hic cum Deo con-  
tur disputare & ex postulare, cur posteri Adæ, qui non  
adfuerunt in Paradiso, neq; consenserunt lapsui, pœnis  
tantis, vtpote temporalibus & æternis subiecti sunt:  
Tamen sciamus nos esse Creaturas, Iudicem verò esse  
Deum. Nos esse miseros & corruptos homines. Deum  
autem esse iusticiam tota essentia sua. Imò cogitemus &  
hoc, primos parentes semetipsos perdidisse, & hanc te-  
tram depravationem sibimetipsis accersivisse. Transfe-  
unte igitur ipsa immundicie, in posteros, quæ in verbo  
Dei appellatur & est reuera peccatum, Ergo & ira  
Dei iustissima est contra peccatores.

84. *D*E ploremus itaq; non tantum primorum ho-  
minum, parentum nostrorum, horribilem lapsum, sed  
etiam nostram immundiciem, quàm Naturaliter nas-  
centes in hunc Mundum, omnes in corporibus atq; ani-  
mabus nostris habemus. Nosmet ipsos iniusticie ac-  
cusemus, non Deum, vt in Propheta dicitur, Ex te  
perditio tua. Cohorrescamus gravitate lapsus, gra-  
uitate damnorum subsecutorum, gravitate iræ Dei, po-  
tentia & Tyrannide Diaboli. Nec parui æstimemus  
omnis generis signa reatus, quæ in homine & extra  
eum apparent. Et pluris faciamus dilectionem Dei pa-  
tris



tris erga tam immundos ho-  
sti, qui venit, ac sanguin  
neritum Iesu Chri-  
li destrueret, nosq; sibi mundatos saluaret, vt opera Diabo-  
li destrueret, nosq; sibi mundatos saluaret, vt postea  
iterum erit dicendum.

85. IN iudicio quidem politico, regula Iuris est,  
ne innocens pro nocente supplicijs adficiatur. Sed coram  
Dei iudicio etiam posteri, vt habet Legis rigor, Ex-  
od. 20. Propter parentum scelera, pœnis subijciuntur,  
nisi pœnitentiam egerint. Nam Deus sicuti peccato-  
rum atrocitatem & magnitudinem magis perspicit,  
quàm omnes Creature, ita etiam pro sua diuina &  
immensa sapientia & iusticia, potestatem habet pœ-  
nam decernere atq; infligere. Est enim iustus iudex in-  
quit Psalmus.

86. PORRò in doctrina de peccato Originis, non tan-  
tum expoliatio primorum parentum consideranda est,  
quæ quidem nostræ Carentiæ causa est: Nec tantum  
reatus propter ipsorum lapsum: Sed etiam propria cor-  
ruptio Naturæ humanæ, quæ in omnes posteros, carnali  
modò procreatos, propagatur.

87. SIC Psalmus 14. inquit: Corrupti sunt & abo-  
minabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bo-  
num. Item simul inutiles facti sunt. Et hoc Testimo-  
nium citatur à Paulo Roma. 2. Item homines mente

corruptos notat. i. & 2. Timoth. 3. Nominat  
& Impietatem atq; iam hominum Roma. i. In  
Osea dicitur perditio Cap. 13. Alias & deprauatio & ma-  
licia, & peruersio appellatur.

88. HÆc autem corruptio hominis, est immundi-  
cia & malicia totius Naturæ humanæ, & omnium vi-  
rium hominis.

89. DE Immundicia docet Iob. 14. Quis dabit Mun-  
dum de immundo? ne vnus quidem. Ezech. 4. Omnis ca-  
ro immunda. Idem Lex de purificatione parientium sig-  
nificabat. Matth. 23. Intus pleni estis rapina & immun-  
dicia.

90. DE malicia. Roma. i. Repletos omni iniusti-  
cia & c. Malicia. Roma. 8. Sensus carnis mors est & ini-  
micicia aduersus Deum.

91. Sic totum genus humanum tenebræ vocan-  
tur, non tantum propter defectum aut carentiam lucis  
& sapientiæ in rebus spiritualibus, ac diuinis, sed eti-  
am propter maliciam, quia tenebras amant, fingunt,  
gignunt, amplectuntur, promouent.

92. Item, Concupiscentia appellatur Roma. 6. 7.  
Gal. 5. Iacob. 1. 1. Ioha. 2. 2. Pet. 1. Complectitur enim hæc  
vox totam maliciam hominis, & fructus eius.

93. Est igitur hæc corruptio in mente caligo in re-  
bus diuinis, & malitia abhorrens & damnans diuina  
dicta

dictata, & fingens falsa Numina, falsos cultus, aut probans ea magis quam quæ Deus reuelat.

94. IN rebus verò humanis & externis, mens quoque valde cæca est, crebrò errat iudicio & ratiocinatione, vel non cernens, quæ vera, recta, iusta sunt, vel sponte ab ijs declinans. Huc pertinet non tantum magna imbecillitas cognitionis iudicij, memoriæ in mente, verùm horribilis quoque peruersio ac malicia, vt Paulum supra audiuius docentem, quod homines sint corrupti mente. Item 1. Corint. 2. Inquit, Hominem Naturalem, habere res Dei pro mera stulticia, hoc est auersari & damnare eas.

95. EST hæc corruptio in corde hominis & voluntate eius, videlicet, quod cor odit Deum, non timet, non diligit Deum, amat res inconcessas, est magna ἀταξία, magna peruersitas & malicia in corde.

96. Est in voluntate hæc corruptio, quæ abhorret res Dei, vult, desiderat, cōplectitur, exequitur res prohibitas.

97. S. Paulus de se renato inquit, Non quod volo bonum (scilicet iuxta renouationem) hoc facio, sed quod nolo MALVM, hoc facio. Ergo ista prauitas & malicia in voluntate faciendi mala, hoc est prohibita lege Dei, in nondum renatis multò est atrocior & seuior.

98. IN membris quoque reliquis totius corporis humani, inest corruptio tetra, & malicia horribilis, multiplex infirmitas, & mortis cause ac prodromi.

D

99. IN

99. *IN* rebus externis superest quidem aliqua facultas eas cognoscendi, appetendi, iudicandi, exequendi, verum caligine, malicia, imbecillitate vehementer depravata & retardata, imò saepe in contrarium fertur voluntas, nec audit rationem. De rebus verò divinis & Spiritualibus, ratio nihil novit Naturaliter, imò uti diximus abhorret ab eis, pro stulticijs eas habet, teste Paulo gravissimo Ecclesiae Christi doctore.

100. *D*annamus igitur iure Manichæos recentes, qui hanc vehementem & horribilem quidem depravationem Naturæ humanæ, asserunt esse Substantiam, & contendunt hæc vocabula, *ἀνομιὰ* iniusticiam, corruptionem, maliciam, concupiscentiam esse vocabula essentiae, seu Iniusticiam esse Substantiam, maliciam esse Substantiam, Impietatem esse Substantiam. Nam verbum Dei non sic docet.

101. *E*st quidem iniusticia in anima & corpore hominis. Malicia est in Substantia hominis. Substantia est subiectum, in quo hæc mala sunt, & considerantur in hoc subiecto, quia peccatum Originis ei inest. Sed hæc mala uti generaliter Paulus nominat, non sunt Substantiæ, ac diserte inquit Apostolus, Ego venundatus sum sub peccatum: Item, In carne mea non habitat bonum. Peccatum habitat in me. Roma. 7. Discernit igitur  
sub

subiectum, & peccatum in se habitans, tanquam hospiti-  
cium, & hospitem, tanquam Mancipium & eius Do-  
minum.

102. **N**Eq; cauillum illud moramur, quod Manichæi  
criminantur nos abstracta tantū adferre sine subiectis, &  
docere peccatum Originis esse quiddam abstractum à  
Substantia. Sed manifesta est isthæc calumnia. Lo-  
quimur enim more scripturæ sanctæ, & nequaquam  
somniauimus peccatum Originis, Concupiscentiam ma-  
lam, Iniusticiam, Impuritatem, extra subiectum ho-  
minis Naturaliter prognati, qua de re nostra scripta  
luculentum præbent testimonium, & eiusmodi figmen-  
ta Manichæorum potenter, per Dei gratiam refutant.  
Sed nunc reliqua prosequemur.

103. **P**Eccati Originis & hæc est ratio, vt in om-  
nes posteros Adæ, qui quidem carnali ratione nascun-  
tur in hunc Mundum, propagetur ac deriuetur, vt Da-  
uid inquit, Ecce in iniquitatibus conceptus sum Psal.  
51 Et Paulus. Per vnum hominem peccatum intravit in  
hunc Mundum.

104. **N**Eq; tamen huius vicij deriuatio, est  
ex Lege procreationis, quæ est **D E I** opus, Sed  
ex Impuritate, vti diximus, quæ semini parentum,  
tanquam Materie ex qua Hominum, mixta est.

**D** 2 **Ac**

Ac tribuendum est Deo, quod ipse efficit atq. operatur, nempe Substantiæ, seu corporis & animæ creatio, ac deinde homini, quod ab ipso est, nimirum ea lues & tabes.

105. Ex renatis quoq. parentibus, peccatum Originis in liberos derivatur. Causa eius rei est, quia Spiritualia bona post lapsum non propagantur Naturaliter, estq. in renatis quoq. lues illa Originalis, licet sit propter Christum remissa, nec dominetur, & inchoata sit aliqua nouitas, vt mox dicendum est. Paulus inquit, Eramus Natura filij iræ Ephe. 2. Estq. vniuersalis oratio, ad omnes Adæ posteros, Naturaliter procreatos, pertinens.

106. NEq. est peccatum Originis, habitans in Substantia hominis, vt Apostolus loquitur Roma. 7. Ociosum, ignauum, quietum, Sed est malum subinde exestuans, ebulliens, & malos fructus tum interiores tum exteriores proferens. Ac dominatur quidem hoc ingens ac perniciosum MALVM, in omnibus hominibus nondum renatis. In renatis verò licet per Spiritum sanctum prematur, & fide sancti reluctentur, tamen perpetuò dum præsentem vitam incolimus, luctatur aduersus Spiritum Galat. 5. Paulus renatus lamentabiliter has voces profert, Non quod volo, hoc ago, sed quod odi illud facio. Item, video aliam Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hoc duellum non est ficticium, neq. exiguum in renatis.

107. D. Ambr.

107. **D**Amnamus pontificiorum doctrinam, quod peccatum Originis in renatis tantum sit fomes. Nam hæc vox & doctrina, peccatum Originis extenuat, & vires liberi arbitrij immodicè prædicat.

108. **E**T si autem cubare videtur peccatum in hominibus profanis & impijs. Gene. 4. Tamen ibi omnium maximè dominatur, & ipsa securitate potens est. Tandem verò legis tuba validissima exuscitatur, & nisi Christus adferat consolationem, homines occidit. 2. Corinth. 3. Roma. 7.

109. **E**st igitur peccatum Originis, etiam reuera peccatum in nobis posteris, nec solum reatus, sed propria lues, propria immundities, propria iniusticia, propria malicia, ac res digna ira Dei & morte. Roma. 5. Per peccatum mors.

110. **E**ffectus igitur peccati originalis sunt, Omnis generis peccata actualia interiora & exteriora, contra priorem & posteriorem Decalogi tabulam.

111. **R**eperiuntur autem istæ phrasæ in sacris literis: Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia & blasphemie. Matth. 15. Item Galat. 5. Opera carnis sunt, adulterium, fornicatio, immundicia. &c. Et, peccatum in me habitans, operatur malum. Roma. 7.

112. **S**ed hæc phrasæ iuxta sacræ scripturæ declaratio

rationem dextrè accipiendæ sunt. Nam Christus Matth  
12. diserte inquit, Bonus homo, de bono thesauro cor-  
dis profert bona, & malus homo de thesauro malo pro-  
fert mala. Docet ergo Christus hunc esse sensum suo-  
rum verborum, ex corde egrediuntur cogitationes  
malæ, scilicet ex corde malo, non renato. Non enim  
simpliciter ex corde humano exeunt peccata, sed ex  
corde deprauato, in quo peccatum Originis habitat. Nam  
si extra hoc inhabitans peccatum foret, cor non gigne-  
ret peccata. Cor Adæ ante lapsum, non genuit pecca-  
ta. Hoc nostrum Cor, quod iam in thorace gerimus, non  
proferet peccata in æterna vita. Imò iam quoq; rena-  
tum cor incipit bonos fructus proferre. Sic Christus ibi-  
dem inquit, Aut facite arborem bonam, & fructum  
eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum  
eius malum. Item progenies viperarum, quomodo po-  
testis bona loqui, cum sitis MALI?

113. Sic in Paulo phrasi peculiari scripturæ sa-  
cræ, Caro totam hominis Substantiam significat, sed  
peccato Originis deprauatam. Nam aliàs si absq; pecca-  
to hoc esset, non gigneret ista peccata. Est itaq; pecu-  
liaris scripturæ sanctæ phrasis, Carnem interdum pro  
deprauata carne, & quidem pro tota hominis Substan-  
tia per Synechdochen usurpari.

114. Eadem ratione peccatum dicitur operari ma-  
la,



la, seu alia peccata, quia in homine est, & membra hominis vitiat, Seu est vitium, lues, morbus, malum in membris, perinde ut in communi sermone dicimus, Morbus hoc fecit. Phrenesis hæc egit. Vbi quidē homo vehementi morbo, seu phrenesi correptus id perpetravit.

115. Hanc suam phrasin luculenter declarat ipse Paulus in istis orationibus, vbi peccatum & membra hominum coniungit, ut hoc ipso capite inquit, carne seruo Legi peccati. Item, Passiones peccatorum operabantur in membris meis. Et cap. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. Serui estis peccati. Exhibuistis membra seruire iniquitati. In hisce sententijs, Substantia hominis, & peccatum coniunguntur, in peccatorum generatione.

116. Nam propriè cogitationes & omnes actiones interiores & exteriores, tribuuntur animæ & corpori hominis, id quod extra omnem est controuersiam. Quod verò malè agit anima & corpus, peccatum seu lues & immundicia Originalis in causa est.

117. Peccato propriè loquendo, non possunt nec debent tribui cogitationes, auditus, visus, tactus, olfactus, iudicium de rebus, memoria, loquela, incessus, sessio, & alie actiones ipsi Substantiæ competentes. Sed quod malè sunt cogitationes, omnes sensus peccant,

id verò isti contagio, vitio, depravationi, tribuendum est, quod ad Naturam humanam accessit.

118. Quomodo autem id fiat, nemo hominum perspicere aut explicare valet. Equidem non vides, quomodo phrenesis malas actiones in mente hominis cieat, aut quomodo febris vana somnia pingat. Quomodo igitur cerne- res, aut explicare posses vim istam contagij Originalis, quod non corpus solum, sed & animam corripuit atq; vitiavit?

119. Affert peccatum iram Dei, & mortem, vt testatur Paulus Roma. 5. 7. Est enim res sua Natura indignatione Dei, ac pœnis tum temporalibus tum æternis digna, vtpote Iniusticia, Legi Dei contraria.

120. Hinc est quod moriuntur propter hanc luem, qua infecti sunt, etiam infantes in vtero matris, in partu, in cunis iacentes, & regenerati, qui verè templa Dei sunt, quia reliquias peccati Originalis in se habent. Et huc pertinent varij morbi.

121. Omnes itaq; calamitates, aduersitates, difficultates in vniuerso mundo, propter peccatum Originis in homines grassantur. Nam dolores partus, laborum asperitas, terræ sterilitas, peccati pœnæ sunt, vt Moses testatur. Gene. 3.

122. Hinc & Tyrannis Diaboli, eius potentia in hoc Mundo, tot oppressiones veræ religionis, tot bella, tot  
muta

mutationes regnorum, scaturiunt. Nam si absq̄ peccato  
Originis foret, nihil haberet Diabolus potestatis in res  
humanas.

123. ET vt breuiter expediam, cæcitas hominum,  
Stupor in mente, prauitas iudicij, cordis duricia, errores,  
scelera omnia, miseriæ omnes, aduersitates omnis gene-  
ris, corporis & animæ resolutio, deniq̄. huius visibilis  
Mundi interitus, & pœnæ æternæ non agentium pœni-  
tentiam, ex peccato Originis promanant.

124. INgens igitur est peccatum Originis, ratio-  
ne corruptionis animæ & corporis, ingens est ratione of-  
fensionis Dei, ingens est ratione grassationis in tota homi-  
nis Substantia, ingens est ratione pœnarum temporalium  
atq̄ æternarum. Nequaquam igitur peccatum Originis  
extenuandum est, sed iuxta verbi diuini declarationem,  
non autem iuxta delira Manichæorum capita, est seriò  
exaggerandum.

125. EST tamen huic ingenti malo, quod vniuersam  
hominis Naturam peruasit atq̄ corrumpit, inuentum  
remedium, non ex lege quidem, verùm ex Euangelio.  
Nam filius Dei vnigenitus destinatus est victima, quæ  
pro peccatis totius Mundi satisfaceret, & Substantiam  
humanam non solum reconciliaret Deo patri, sed etiam à  
contaminatione atq̄ lue peccati penitus expurgaret,

E

eamq̄

eamq̄ mundam penitus & iustam efficeret. Iob. 3. Roma.  
4. I. Iob. 1. 2. 3.

126. *IN* regeneratione autem, quæ fit per verbum  
& Spiritum sanctum, vt Christus docet Iob. 3. Tum con-  
donatur peccata gratis propter Christum credenti, (ita  
vt Deus non velit imputare amplius peccata, non prop-  
ter ea abicere in æternam condemnationem, imò vt im-  
putet etiam credentibus iusticiam, sanguine Christi  
partam: ) tum inchoatur renouatio per Spiritum san-  
ctum, ita vt incipiat homo talis Deum verè cognosce-  
re, rectè timere, eì credere, eum inuocare & celebrare,  
ac proximum sine fuce diligere.

127. *VERUM* hoc iterum atq̄ iterum, contra Gno-  
sticorum, Catharorum, quorundam Anabaptistarum  
furores, & aduersus criminationes nonnullorum petu-  
lantes, tenendum est, renouationem in hac vita, quæ fit  
in sanctis per Spiritum sanctum, non perfici, non ab-  
solui, cuius quidem rei euidentis Testimonium est atra  
mors, iustum & iniustum deglutiens, sed inchoari dun-  
taxat. Plenè autem fiet in resurrectione ex mortuis, vt  
docet Christus Matth. 19. Tum verò radicitus ex Natu-  
ra seu Substantia humana extirpato peccato, iusticia  
Dei induemur ac lucebimus in æternum.

128. *HINC* est quod Lutherus, & rectè quidem,  
in

in Genes. Cap. 38. Dixit, Mortem & PECCATVM  
esse mala separabilia, tali scilicet pacto, quo monui-  
mus.

129. NON enim sunt nobis, hoc est nostris viribus  
separabilia ista ingentia mala, Sed Dei hoc opus est. Is  
enim imputat Iusticiam, is incipit renouationem. Is do-  
nat nouam lucem & vires, is in nouissimo die quod hic  
benignè cœpit, potenter absoluet. Deo enim nihil est im-  
possibile.

130. SOPHYSTICA itaq; digna odio est, Nobis pecca-  
tum esse inseparabile, & non penitus separari in hac vi-  
ta, Ergo Inseparabile esse. Nam vti diximus, separatio  
peccati à Substantia, est opus Dei, & inchoatur in hac  
vita, & in reditu Christi ad iudicium, excindetur fun-  
ditus ex Natura hominis. Eo igitur respectu, Lutherus  
dixit esse separabile.

131. Hinc etiam liquet, peccatum Originis adhuc  
in renatis habitare, vt loquitur Paulus, ac rem esse sua  
Natura dignam morte, & non esse mortuum, vt sic  
dicam canem, sed maliciam, quæ subinde Spiritui sancto  
se opponit, & non tantum leuia, sed etiam graua inter-  
dum in sanctis peccata profert, nisi Deus reprimat,  
exempla sunt, Loth, Salomon, Petrus, & alij in-  
numerabiles. Est tamen in renatis peccatum Originis

E 2 remis

remissum per Christum, & non imputatur credentibus in Christum, donec scilicet manent in fide. Insuper sancti per Spiritum ei resistunt, ac petunt quotidie tum condonationem infirmitatis & multorum delictorum, tum gubernationem & vires, quibus hæc malicia nonnihil retundatur. Roma. 7.

132. *RE*petita simplici, recta, perspicua & firma doctrina de peccato Originis, ex solidis fundamentis sacrosanctæ scripturæ: Superest, vt de controuersijs presentibus etiam pauca subiiciamus, videlicet, An peccatum Originis sit Substantia, vel Accidens vitium? Nam perspecta sinceræ doctrinæ fundamentis, iam vtra propositio veritati diuinæ sit consentanea, quæ non, liqui-  
dissime patebit.

## DE PROPOSITIONE.

### PECCATVM ORIGINIS EST SUBSTANTIA.

133.

**N**genue, palam, perspicue, sine omni tergiversatione affirmamus, hanc propositionem, Quod peccatum Originis sit Substantia, non esse verbo Dei consentaneam, imò esse impiam & blasphemam, neq; in Scholis aut Ecclesijs Christianis

stianis tolerandam, sed tanquam Manichæam reijciendam, explodendam & damnandam, iuxta regulam, Si quis aliud Euangelium prædicarit, sit Anathema. Gal. 1. Et oportet unumquemque Christianum seriò detestari & execrari omnia dogmata, citra omnem prosopolepsiam, pugnantia cum Norma verbi diuini. Ac meritò improbantur, Academici, Sceptici, claudicantes, titubantes, cothurnifices, & præstigiatores omnes, qui vel ambigunt perpetuò, vel Neutrales sunt, vel cæci sunt, ac dum silentium sese astutum præstare autumant, ipsam Veritatem Dei, quantum in se est, nefariè deserunt, eamque sceleratè conculcari & opprimi sinunt.

134. Hanc autem propositionem Duces Manichææ sententiæ, quæ nunc nouis pennis exornata, in scenam producitur, manifestè ponunt, vt videre est in titulis librorum typis excusorum, in Conclusionibus Syllogismorum, quibus nituntur, & hoc ipsum quod volunt inferunt.

135. Licet patroni huius propositionis, vt moris est præstigiatoribus, mirificè variant propositionem, & non tantum verba, sed etiam res ipsas immutent, quibus tamen non saluant propositionem suam, verum in isto Dei iudicio magis produnt, subindè crassius impingentes, qua de re suo loco.

136. SVccenturiati autem, in auxilium laboranti & titubanti Manichæorum propositioni: quod peccatum

tum Originis sit Substantia, accurrentes: magna ex parte hanc propositionem, tanquam absurdam, & veteribus Manichæis ut Augustinus docet, nimis familiarem, cuperent declinare, aliasq; substituere, vel perinde absurdas ut hæc est, vel plus quam dis dia pason, à præcipua propositione discordantes, sicuti aliqui vociferantur sese dimicare, quod Natura humana sit corrupta. Quod hæc corruptio sit in tota hominis Substantia. Quod peccatum Originis sit maximum malum, quod penitus atq; funditus in hac vita, à Substantia humana separari nequeat. Quod non solum Accidentia, sed etiam tota hominis Substantia sit deprauata. Quod homo sit peccator. Quod Christus redemerit totam Substantiam à peccatis. Quod totus homo sit dilutus, conspurcatus peccatis, & amiserit Iusticiam, ex vniuersa sua Substantia & c. Atqui de hisce sententijs nulla cum ipsis disceptatio est, nec sunt temerè vel maliciosè fingendi alij status extra controuersiam. Hic igitur volubiles anguille constringendæ ac retinendæ sunt ambabus manibus, fortiter, quod asserunt, peccatum Originis esse Substantiam. Hic est cardo rei, hic scopus, hæc est illa Helena, causa & Origo huius tumultus in Ecclesia Christi, quæq; multos in Naufragia, errores & tristissimos casus inducit.

137. Rationes autem cur hæc propositio sit impia



pia & profliganda, inter plurimas, paucas tantum, ex  
verbo DEI limpidissimo depromptas, in conspectu ha-  
beant p̄j.

138. *L*Abefactat & euertit Articulum seu do-  
ctrinam de Creatione hominis, quæ initio facta est, &  
quæ etiamnum fit. Nam in ea doctrina nusquam legi-  
tur, quod peccatum sit Substantia.

139. *O*Mnes quidem Substantias *DEVS* creat,  
Hebre. 3. Qui creat omnia Deus est. Iob. 1. Omnia per  
ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod  
factum est.

140. *S*Ed peccatum Originis non est Creatum à  
Deo, neq̄. in initio neq̄. post. Ergo peccatum Originis  
non est Substantia. Deus condidit omnia bona initio, &  
quæ adhuc in Mundo creat, quatenus quidem Deus ea  
creat, sunt bona. Sed peccatum Originis non est bonum.  
Ergo peccatum Originis non est conditum à Deo

141. *E*Rgo summa blasphemia est, asserere, peccatum  
Originis esse Substantiam, esse Creatam Substantiam  
à Deo, vt iam quidam Manichæi loquuntur. Nam eo pac-  
to Moses mendacij arguitur, qui inquit, Omnia condi-  
ta à Deo fuisse bona.

*C*orporis creatio, Anima eq̄. insertio, est à Deo. Er-  
go Anima, corpus, cor hominis, non sunt per se peccata  
Originis.

E 4

142. *N*am

142. *N*am si peccatum Originis est ipsa Anima, ipsum cor, ut affirmant recentes Manichæi, falsa est doctrina Mosis, quod Deus creavit Cor & Animam hominis

143. *P*ost lapsum quoque Substantiæ humanæ creatio opus Dei est, is creat corpus & animam hominis, ut testantur dicta illustrata scripturæ sanctæ, quorum quædam supra sunt annotata.

144. *S*ed peccatum Originis non creat Deus, quia immota sententia est, Non volens Deus iniquitatem tu es. Psal. 5. Ergo peccatum Originis non est Substantia, non est ipsa anima per se, aut ipsum Cor per se.

145. *I*gitur opus creationis diuinæ contumelia afficit doctrina Manichæorum, quasi Deus sit creator peccati, quæ quidem blasphemia penitus tollit opus hoc creationis & propagationis Naturæ humanæ.

146. *P*eccatum Originis, pertinet ad maledictum, sed creatio hominum, quæ fit in mundo, ratione Naturæ humanæ pertinet etiamnum ad benedictionem Dei. Ergo hæc doctrina Manichæorum, quod peccatum Originis sit Substantia, sit ipsa anima, sit ipsum cor, prorsus abolet benedictionem Dei in hac quotidiana creatione & propagatione hominum, quam noster Catechismus Deo adscribit. Appellat enim Dei ordinationem, & benedictionem.

147. *I*mò summa etiam blasphemia est, Diabolum, creatu

creaturam maliciosam & excommunicatam à Deo, constituere ipsius Substantiæ humanæ, ipsius Animæ, ipsius cordis, creatorem.

148. *SEd hæc omnia, Manichæa ista propositio affirmat, peccatum Originis esse ipsammet Substantiam, esse ipsammet Animam, esse ipsummet cor, cum quidem scriptura tribuat peccatum Diabolo Gene 3. Ioh. 8. 1. Ioha. 3.*

149. *ERgo iuxta hoc Manichæorum dogma, Diabolus est creator ipsius Substantiæ, creator ipsius Animæ, creator ipsius cordis. Sicut etiam recentes Manichæi, licet velint, istum scopulum declinare nequeunt. Nam fructus illi Manichæi, quibus sese temerariè commiserant, ipsos acutissimo isti scopulo validissimè allidunt, unde in recenti libello adhuc eiusmodi verba effundunt.*

150. *Fingant igitur Manichæi recentes quicquid velint, vertant sese ut vertimini, & polypi in mille formas, tamen in iste picea ac lerneæ palude hærent, ac suffocantur, Diabolum esse creatorem Substantiæ, creatorem Animæ, creatorem cordis, quia peccatum Originis cuius est Diabolus author, est ipsammet Substantia, ipsammet Anima, ipsummet cor, iuxta ipsorum doctrinam.*

151. *Sic scilicet ad duo extrema (quod vel Deus sit creator peccati, vel Diabolus sit creator Substantiæ) euertentia totum Articulum creationis, allidunt, non ali-*

F ter .

ter atq; in summis tempestatibus sine malo, velo, remo,  
iactatæ, iam in istum, iam in alium scopulum impingunt,  
donec ruptæ semel in profundum maris subsidant, nullo  
interitus sui relicto vestigio.

152. Labefactat & euertit hæc Manichæorum veterum  
& recentium doctrina, quod peccatū originis sit Sub-  
stantia, Articulum & doctrinā de peccato multis modis.

153. Nam si peccatum Originis est ipsamet Substan-  
tia hominis, non mansit post peccatum, Individuum Adæ  
& Eue, id quod tamen ipse textus in Mose Ge. 3. euincit.

154. Item, non mansit species hominum, sed alia no-  
ua species hominum ibi creata est, contra textum Mosis,  
qui docet, eandem hominum speciem mansisse. Ne autem  
aliquis hic rimas quærat, aut nugas aliquas agat, species  
hoc loco usurpatur, pro tali specie, sicuti Genes. 2. dici-  
tur, Deum quælibet in sua specie condidisse, & iuxta  
species certas, distinxisse suas Creaturas. Sicuti enim vr-  
tica alia species herbæ est quàm triticum. Ita homo alia  
species Animalium est, quàm bos, aut equus. Et quidem  
manifestè sese produnt recentes Manichæi, asseuerantes  
nouam speciem hominis post lapsum effectam, id quod est  
contra Dei consilium, qui voluit eam ipsam speciem homi-  
num post lapsum manere, vt eosdem redimeret à peccatis,  
et pristinae dignitati ex immensa misericordia restitueret.

155. Item si Adam & Eua post lapsum sunt nouæ  
speciæ

Species hominum, iuxta eam vocis significationem, ut dictum est, Et ea species noua non est à Deo, tum sequitur, Diabolum esse creatorem, qui scilicet nouas species Creaturarum condiderit.

156. Aliud verò est, si dicas, speciem id est formã bonitatis, iusticie, puritatis esse amissã, qua de re nemo inter re-ctè sentiētes, dubitat. Sed bonitas, iusticia, nō substantiæ.

157. SI peccatum Originis est Substantia, non intrauit peccatum in homines seu in Mundum, ac Paulus mendacij insimulatur. Ratio est, quia Manichæi dicunt, peccatum esse ipsum cor, ipsam Animam. Sed Substantiã animã, cor, prius habebant homines, peccatum non habebant.

158. VEl sequitur ipsum cor, nimirum peccatum Originis, intrasse ipsum cor. Animam ipsam, intrasse ipsam Animam Substantiam ipsam, intrasse ipsam Animam, quia videlicet Manichæi dicunt, peccatum Originis esse ipsam Substantiam, ipsum cor, ipsam Animam. Sed Paulus inquit INTRASSE: Nota intrasse. Quonam? IN HOMINES. Intrans malum est peccatum, teste Apostolo. Subiectum quò intrauit, est homo, seu omnes homines. Ergo audis Paulum discernere luculenter peccatum quod intrauit, & hominem in quem intrauit, nec dicit peccatum esse hominem seu Substantiam ipsam, & hinc apparet, quàm nefariè hunc textum Pauli deprauent & euertant recentes Manichæi.

F 2 159 Hinc

159. Hinc porrò hæc monstra rerum sequentur,  
Substantiam peccatum, vt Substantiam quàm prius non  
habuerint primi parentes, accessisse ad Substantiam ho-  
minis à Deo creatam. Idem de anima & corde iudicium  
est. Ergo homo constat duabus Substantijs, altera qui-  
dem cuius Deus est autor, altera cuius Diabolus est au-  
tor. Item duabus Animabus, & duobus cordibus ab  
ijsdem diuersis & contrarijs creatoribus conditis. An hoc  
non est insanire?

160. Moses inquit, quod Nuditas subsequuta sit lap-  
sum primorum parentum, hoc est, expoliatio iusticiæ,  
sanctitatis excellentiæ summæ & vitæ beatæ in corpore  
& anima hominis. Non inquit Substantiam prorsus  
interiisse aut aliam Substantiam, diuersam à priori quàm  
Deus effinxerat, ibi conditam esse, aut Diabolū nouæ cre-  
aturæ, diuersæ ipsa specie, à priore specie hominum, ibi au-  
torem fuisse, sed hanc ipsam Substantiam, quàm Adam  
& Eva ab ipso Deo acceperant, esse denudatam & de-  
formatam horribiliter. Ergo Manichæorum doctrina,  
hac etiam in parte, Mosen impugnat, & nouum doctri-  
næ genus conflat.

161. Imò si peccatum Originis est Substantia, &  
noua species hominum, priori specie hominum (proprie  
de specie, vt in Genesi vsurpatur loquendo) prorsus abo-  
lita, est subsequuta porrò sequitur Adam & Euam post lap-  
sum, non esse Creaturas Dei. Nam peccatum nequaquam

est Creatura Dei. Item illum Adamum, qui lapsus est, & illam Euam, quæ pomum momordit, non esse accusatos à Deo post lapsum, non esse in gratiam receptos propter semen venturum, neque esse saluatos per fidem in Christum, sed nouam duntaxat illam speciem hominum, cuius quidem non Deus, sed Diabolus est autor, iuxta Manichæorum sententiam.

162. ET quis non ulterius cohorresceret, quod inde consequitur, Diaboli Creaturam & opus, receptum esse in gratiam à Deo, ei promissum semen benedictum, & non opus Dei, sed Diaboli esse redemptum, saluatum &c. Quia scilicet Manichæi condendunt, peccatum esse Substantiam, & homines post lapsum non esse eiusdem speciei Creaturas cuius fuerunt antea. Vident igitur omnes pij, seriò attendentes, quomodo hæc veterum & recentium Manichæorum doctrina, toti historiæ Mosæicæ de lapsu hominum contradicat.

163. S. Paulus inquit, se esse venundatum sub peccatum. Iam si peccatum Originis est ipsammet Substantia hominis, S. Pauli doctrina destruitur. Quomodo enim ipsammet Substantia hominis, potest venundari ipsimet Substantiæ hominis? Portentosam igitur interpretationem dicto S. Pauli adfert Manichæorum dogma, quasi idem sit, Substantiam hominis venundatam esse peccato, & Substantiam venundatam esse Substantiæ.

F 3

164 S. Pau-

164. S. Paulus inquit, peccatum (loquitur autem ibi propriissimè de Originali) in se **HABITARE**. Atqui Manichæi contra pugnant, peccatum esse ipsammet Substantiam. Ergo falsitatis arguitur S. Apostolus à Manichæis.

165. **N**am Monstra horrenda rerum & verborum sunt, Substantiam humanam, habitare in Substantia humana, & ea quidem omnia ex eo dogmate nascuntur: Quod peccatum Originis sit Substantia ipsa. Sed Paulus accuratissimè loquitur, **IN ME** inquit, id est in mea Substantia: Audis igitur subiectum nominari. Quid verò in te, seu in tua Substantia est mi Paule? In me ait, **HABITAT** peccatum, in mea Substantia habitat Originalis illa lues. Ergo peccatum Originis non est ipsammet Substantia S. Pauli, sed Malum, quod habitat in Substantia S. Pauli.

166. Sic inquit, sibi, id est suæ Substantiæ adiacere peccatum, Militare in suis membris. Item iubet hoc vetus fermentum expurgare. Ergo Manichæorum dogma Mosis & Pauli, imò si consideres Davidis & aliorum testimonia de peccato, hoc est, Vniuersam vniuersæ sacræ scripturæ sententiam conculcat & pessundat.

167. **P**ugnât hoc dogma, cum definitione peccati, quæ extat in sacris literis. Nam Iohannes inquit, ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἄνομια. Non dicit est Substantia. Nemo enim



enim vel ex prophanis vel ex sacris scriptis, probare poterit, *Ανομιὰς, ἀδίκιας*, iniusticiam, idem significare quod **SUBSTANTIA**.

168. Si queras, ubi sit, ubi habitet, & ubi fiat *Ανομιὰς* Rectè respondetur, in tota hominis Substantia, hoc est, in corpore & Anima & omnibus viribus hominis sedet, habitat, inest peccatum Originale. & in, & ex Substantia hominis, in qua peccatum Originis habitat, gignuntur peccata actualia, tum, exteriora, tum interiora.

169. Imò nullum vocabulum peccati, quod in sacris literis extat, idem significat, quod **SUBSTANTIA**, ut sunt *chattab, Auon, Pescha, Ascham, Raa*, Abominations, Iniquitates, Iniusticia, Impietas, Fornicatio, prauaricatio, via mala, concupiscentia, cordis desideria, Anomia, Parabasis, & alia multa.

170. Est igitur immanis furor, certare, quod *Anomia* & similia vocabula idem sonent, ac sint, quod Substantia. Quis enim eiusmodi delirium ex vlllo vnquam Ecclesiae Dei sano doctore audiuit?

171. Evertit hoc Manichaeorum dogma vsitatas Ecclesiae Dei definitiones, ut Apologiae Aug. Conf. quod peccatum originis sit defectus & concupiscentia, iam neq; defectus idè sonat aut est, quod Substantia, neq; concupiscentia idè est, quod substantia, sed defectus et concupiscentia

F 4 sunt

sunt in hominis Substantia, tanquam subiecto. Restituetur autem ei subiecto seu substantiæ, credenti in Christum, iusticia & puritas, & sic Substantia viuet in æterna beatitudine, Defectus verò & concupiscentia non erunt vitæ beatæ participes.

172. Eadem ratione euertit hanc definitionem hodie vsitatam, peccatum Originis est corruptio totius Naturæ humanæ, quæ in omnes homines carnali modo nascentes propagatur, & facit nos reos iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi per Christum remissio peccatorum fiat. Nam corruptio & Substantia, in nulla lingua, neq; in vlla professione sunt propriè ac prorsus idem. Corruptio quidem fit in Substantia, veluti in subiecto vt nihil hic de Accidentibus dicam. Phrenesis igitur est manifesta & detestanda, quod corruptio & Substantia sint vocabula Synonima aut conuertibilia.

173. Evertit doctrinam de redemptione humanæ Naturæ Nam Christus promissus & exhibitus est, vt opera Diaboli destrueret. 1. Ioh. 3. Sed Corpus & anima, seu Substantia ipsa hominis, non est opus Diaboli. Opus verò Diaboli est peccatum, quod Christus destruit. Ergo peccatum Originis non est Substantia.

174. Quod si autem peccatum Originis est Substantia, sequitur, Christum venisse, vt destruat Substantiam hominis, Item vt destruat Animam hominis, quod

quod quidem portentum apertè Iohannis dictum deprauat  
& proterit. Sic scilicet os Spiritus sancti, Manichæorum  
Spiritu est reformandum.

175. IMò & humanam Naturam in Christo, quàm  
verè ex posteris Adæ suscepit, necesse est peccatum Ori-  
ginis esse, Si peccatum Originis est Substantia.

NON enim aliam carnem habuit Christus, quàm nos  
habemus, nisi quod peccato non fuit polluta.

ESTq; recentium Manichæorum error, quasi Chri-  
stus ipsa specie aliam carnem habuerit, quàm nos. Eri-  
piunt igitur nobis Salvatorem Manichæi.

176. IOhannes inquit, Ecce agnus Dei, qui tollit  
peccata Mundi. Hoc loco vox Mundus vsitata phrasi,  
homines appellantur. Huius verò Mundi, hoc est cuncto-  
rum hominum peccata, ait Christum portaturum. Non  
ait, Christus tollet homines, aut tollet Substantias, aut  
tollet animam, sed peccata hominis, Substantiæ, animæ,  
cordis. Quale igitur portentum gignetur, si applicueris  
Manichæorum dogma, tali pacto, Ecce agnus Dei, qui  
tollet Substantias Substantiarum? Nam si peccatum est  
Substantia, & sicuti insuper volunt, peccatum & Sub-  
stantia sunt Synonima ac termini conuertibiles, nihil ali-  
ud, quàm hæc fœda & abominabilis deprauatio huius pul-  
cherrimi dicti sequetur. An non igitur bellam glossam  
in Biblia, hæc Manichæorum principia gignent?

G

177. 2. Co.

177. 2. Corin. 5. dicitur eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum &c. Iam si peccatum Originis est Substantia, mirabilis glossa inde super hunc textum surget, scilicet Christum, qui nouit Substantiam nostram aut animam nostram, pro nobis fecit Substantiam & animam reliquorum hominum seu Substantiam.

178. Christus, uti S. Petrus docet, PECCATA nostra ipsemet in corpore suo super lignum pertulit. i. Pet. 2. Si peccatum Originis est Substantia, sequitur glossa Manichæorum, Christum Substantiam & animam nostram in cruce gestasse. Id verò corruptela dicti Petri ni est, nullo modo in Ecclesia Christi ferenda.

179. Hinc porrò sequitur, cum peccatum Originis non sit Substantia, ut sacræ literæ præclare docent, nec Substantias nostras id est corpora nostra & animas nostras, Christus in cruce gestauit: Nec peccata nostra in cruce à Christo portata aut expiata esse. Ratio est, quia Manichæi peccatum Originis asserunt esse Substantiam, & esse Synonima peccatum & Substantiam, seu esse terminos conuertibiles. Horret animus talia saltem cogitare, quæ ex tam furioso dogmate consequuntur.

180. Tota scriptura docet, iusticiam nostram coram Deo esse remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ partæ per Christum, abiectiōem peccatorum nostrorum  
in

in profundum maris, non imputare peccata, calcare sub  
pedes peccata nostra. Psal 32 Roma 4. Miche: 7.

181. Iam si peccatum Originis est Substantia, hæc  
omnia sunt vitanda, quod videlicet iusticia nostra coram  
Deo, sit Remissio Substantie, conculcatio Substan-  
tie, sit Abiectio Substantie seu Animæ in profundum  
maris. Vbi igitur nostræ Substantie manebunt? Quomo-  
do Iustificabuntur, quomodo viuent, Quomodo glorifica-  
buntur nostræ Substantie, ac nostræ Animæ, si animæ et  
Substantie nostræ sunt ex oculis Dei in æternū remouen-  
dæ, sicuti peccatum Originis omninò à credentibus remo-  
uendum est? Si Deus animas & Substantias nostras vult  
pedibus suis conterere? Si earum nunquam volet recorda-  
ri? Nam hæc de peccatorum abolitione in sacris literis &  
dicuntur, & ab omnibus pijs creduntur. Sed benè habet  
res, de peccatis duntaxat hæc dicuntur, ipsis verò Sub-  
stantijs & animabus nostris per Christum, liberatio à pec-  
catis promittitur. Itaq; Manichæū dogma labefactans no-  
bis Articulum fidei, in quo nostræ redemptio, salus & vita  
consistit, zelo iusto repudiamus ac damnamus.

182. Quid enim horribilius est, quàm hanc glos-  
sam, quam nobis adfert Manichæum dogma: Scili-  
cet, peccatum Originis esse Substantiam, admittere  
in dictis huius Articuli, vt remittuntur tibi peccata,  
Matth. 9. Id est Remittuntur tibi Substantia seu Anima.

G 2

Libera

Liberati à peccato, Roma. 6. id est liberati à Substantia,  
seu anima, facti estis serui iusticiæ &c.

183. INsuper, si peccatum Originis est Substantia.  
Substantiæ autem atq; Animæ nostræ sunt redemptæ  
sanguine Christi, sequitur, Ipsum peccatum Originis esse  
redemptum, esse saluatum, esse receptum in gratiam à  
Deo. Ipsi peccato Originis imputari iusticiam Christi. Et  
sic ipsū peccatum Originis iustum censeri à Patre cœlesti,  
& habitationes ei in cœlis per Christum esse paratas.

184. EVertit hoc Manichæorum dogma, saluta-  
rem doctrinam de regeneratione. Nam si peccatum Ori-  
ginis est ipsamet Substantia hominis. Ergo peccatum Ori-  
ginis regeneratur, fœdus init cum Deo, fit noua creatu-  
ra, accipit Spiritum sanctum, contra fidei Articulum,  
quod nostrā Substantia abluatur à peccatis, absoluetur  
à reatu, reconcilietur Deo, imputetur ei iusticia, donetur  
ei Spiritus sanctus & vita noua in ea inchoetur.

185. EVertit doctrinam de coniugio. Nam si pec-  
catum Originis est Substantia, sequitur, peccatum Ori-  
ginis utroq; sexu præditum, id est esse peccatum mas-  
culini generis, & peccatum sceminini generis, & pecca-  
tum peccato fœdere coniugali sociari. Peccatum Ori-  
ginis benedici publicè, & peccatum Originis liberos pro-  
creare.

186. Quid potest dici atrocius, quàm quod qui-  
dam

dam insanus Manichæus hæc verba effutiuit, sese viuum  
cacodæmonem in se gestare, seu sese esse viuum Diabo-  
lum, quia scilicet peccatum sit Substantia?

187. ALij hæc protulerunt, grauidas matres, ni-  
hil aliud quam peccatum Originis in vtero, imò viuum  
Diabolum gestare. Hæ blasphemiæ voces pænis Christi-  
anorum Magistratum cohercendæ sunt. Siccine depra-  
uatur egregium Dei opus, quod ad Naturam humanam  
attinet, quod David inquit esse donum ac singularem  
Dei benedictionem? Verum quidem est, Naturam hu-  
manam totam esse corruptam peccato, sed nihil aliud  
quàm peccatum Originis esse, ipsius Diaboli est blasphe-  
mia. Siccine etiam matribus suis gratias reddunt, & in  
hoc periculoso ac difficili labore, grauidas matronas so-  
lantur? O diros cuculos, indignos, qui corpora & ani-  
mas à suis matribus acceperunt, nisi egerint pœniten-  
tiam.

188. EVertit furiosum hoc dogma, Resurrectio-  
nem ex mortuis. Nam si peccatum Originis est Substan-  
tia, sequitur, Substantias nostras nunquam in omnem  
æternitatem resurrecturas. Quid igitur prodest resur-  
rectio Christi? Quid nostra regeneratio? Nostra fides?  
Ergo fundamentum Sadducæismi & Epicuræismi, in hoc  
Manicheorum dogmate constabatur.

189. EVertit igitur vitam æternam, adimit leti-

ciam cum Deo, & vno stratagemate, vniuersam Christi religionem delet. Nam peccatum Originis nunquam regnum cælorum ingrediatur, nunquam fiet iusticia, nunquam ante Deum stabit eumq; celebrabit, nunquam cœtui sanctorum Angelorum associabitur.

190. Compendij & lucis gratia, ne immodicè crescant hæ positiones, animaduertant rudiores, omnes Catechismi nostri partes huic insano dogmati, Quod peccatum sit Substantia, aduersari & contradicere.

191. Nam Decalogus prohibet peccata, non prohibet corpus & animam hominis per se. Accusat peccata hominum, non accusat Substantias per se, vt Substantias, aut animas per se, quatenus Animæ sunt, sed quia Substantiæ & Animæ hominum, peccato sunt dilutæ & deprauatæ.

192. Habere Deos alienos, seu idolatria, nō est Substantia. Abusus nominis diuini, nō est Substantia. Prophana- tio Sabbathi, non est Substantia. Inobedientia erga parentes, non est Substantia. Homicidiū, Adulteria furta falsa Testimonia, prauæ concupiscentiæ, non sunt Substantiæ.

193. Vt ergo Substantias accusat & damnat lex? Respondeo, modò id est expositum, nimirum propter peccatum inhabitans, vt nominat Paulus, & propter fructus malos, Roma. 7. Galat. 5.

194. Symbolum inquit, Deum esse creatorem, hoc est creasse nos, dedisse nobis corpus & animam, vt Lutherus  
decla.



declarat. Ergo non dicit peccatum esse Substantiam. Docet Christum passum esse, id quod Petrus exponit, peccata nostra gestasse in corpore suo super lignum. Lutherus sic enarrat, me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Satanæ liberauit. Non inquit Christum ipsum peccatum Originis redemisse aut iustificasse. Imò hominem & peccata discernit eo ipso, quod profitetur, hominem à peccatis liberatum. Ergo non sunt propriè idem homo & peccatum, licet peccatum sit in homine, & propter peccatum homo sit reus. Credimus remissionem peccatorum, non credimus remissionem Substantiæ aut animæ. Credimus resurrectionem carnis, hoc est Substantiæ nostræ, non credimus resurrectionem peccati Originalis. Credimus vitam æternam Substantiæ nostræ, non peccati Originis. Ergo ipsa fidei professio Manichæorum dogmati aduersa fronte contradicit.

195. O Ratio Dominica hoc dogma oppugnat. Nam oramus remissionem peccatorum, & non petimus remissionem Substantiæ. Ergo peccatum est aliud quippiã, quam est Substantia aut anima nostra. Imò tandem precamur liberationem ab omni malo. Nec petimus liberationem à Substantia & anima, sed vt Substantia nostra omnibus malis, inter quæ mala etiam, & quidem non postremum est, peccatum Originis, liberetur, & suspiramus glorificationem illam Substantiæ nostræ, per Christum promissam.

G 4

196. AB

196. *ABSolutio, instituta per filium Dei, est letissima annuntiatio remissionis peccatorum per Christum, nec est remissio Substantiae aut animae per Christum.*

197. *IN baptismo abluitur nostra Substantia, potentia & virtute verbi diuini, à peccatis, ibiq; foedere peculiari cum Deo obligatur. Non peccatum Originis renunciat Diabolo & omnibus operibus eius, sed homo, seu Substantia hominis. Non peccatum Originis ibi donatur iusticia, recipitur in gratiam, donatur Spiritu sancto & nouitate, sed Substantia hominis. Non pro peccato Originis ibi preces fiunt, vt accipiatur à Deo, vt fiat membrum Christi, membrum Ecclesiae, haeres vitae aeternae, sed Substantia hominis. Ergo Baptismus omnium nostrum, perhibet viuum Testimonium contra delirum ac blasphemum dogma Manichæorum, quod peccatum Originis sit Substantia.*

198. *IN Testamento Domini, comedimus verum corpus & verum sanguinem Christi, non Peccato Originis, sed ore nostro & fide. Nec in confirmationem peccati Originis, sed Animae & cordis nostri, contra peccatum Originis. Nec ibi Christum accipimus in remissionem nostrae Substantiae & animae, sed peccatorum, vt Substantia propter peccata non damnetur in iudicio Dei.*

199. *ERgo verba Testamenti Dominici perspicue*

cuē refutant dogmā Manichæorum, & euincunt, peccatum Originis non esse Substantiam nostram, quæ quidem debet comedere & bibere corpus & sanguinem Domini.

2001 ALias, si peccatum Originis est Substantia: Et nostra Substantia hisce summis rebus debet frui: Sequitur: Peccatum Originis debere vesci corpore Christi, & bibere sanguinem eius, quibus quidem blasphemijs, quid potest dici atrocius?

2002. HÆc commemoravi, ut omnes pij, seriò timentes Deum, & quibus curæ cordiq; est incorrupta doctrina cœlitus patefacta, & his postremis Mundi temporibus, nobis ostensa, & Catechismus noster, quo post sacras literas non habemus vllum thesaurum præstantiorē, discant Manichæorum dogma, quod totam Religionem veram, totam Bibliorum doctrinam, totum Catechismum Lutheri euertit ac delet, ac nouam atq; peculiarē formam ac Metamorphosin, in omnibus molitur introducere, cum summo probro Dei, & plurimorum hominū æterna pernicie, rectè cognoscere, diiudicare, abhorere ac detestari. Plura alijs in scriptis à nobis annotantur, ad quæ cupidos & amantes veritatis remittimus.

## DE PROPOSITIONE.

PECCATVM ORIGINIS EST ACCI-  
DENS VITIVM.

H

2003. SV.

203. **S**uperest, ut pauca de propositione dicamus, quæ opposita est Manichæo dogmati, nempe quod peccatum Originis sit Accidens, seu Accidens vitium, quod idem est.

204. **N**am aliqui ex inscicia & ruditate affectata etiam ab hac voce, & futiliter garrunt de ijs quæ ignorant aut non intelligunt: Aliqui verò exhibent leuissimis cauillis contra proprias conscientias, hanc vocem, quia Manichæo dogmati patrocinantur.

205. **A**ccidens autem hic declaramus, pro eo, quod accessit ad hominis Substantiã, & quod iterum aliquando, nõ per hominis, sed per ipsius omnipotentis Dei vires, remouebitur à Substantia hominis ac vt sic dicam discedet.

206. **A**C rectè in Dialecticis definiri sentio. Accidens est, quod non est Substantia eius, in quo est, neque est pars eius, & est in alio mutabiliter. Hanc definitionem verbo Dei, statuo non esse contrariam, & rectè accommodari posse, existimo, sed petitis rebus ex verbo Dei.

207. **A**Lteram verò definitionem; Accidens est quod adesse vel abesse potest, citra corruptionem subiecti ideo ab eruditis iustè repudiari existimo, quia nõ est vniversalis. Nam plurima sunt Accidentia quæ citra subiecti corruptionem non adsunt, vt sunt morbi ingentes, aliq̃ casus, & ipsa deniq̃ mors. Vel saltem hæc definitio, ad aliqua tantummodo Accidentia est restringenda, quæ res facit, vt regulam vniversalem de Accidentibus præ-

bere nequeat, id quod manifestum est.

2008. Iam porrò nos hac voce antea, in hac quòdem doctrina de peccato Originis, publicè saltem, vsu non sumus, quia nulla nos Necessitas impellebat. At postquam Manichæum delirium, peccatum Originis est Substantia, iterum cœpit resuscitari, tum Necessitas nos extrema coegit, ut vocabulo Substantiæ, opponeremus vocem Accidentis.

2009. ET manifestus est quorundam Manichæorum furor, qui propositione illa, quod peccatum Originis sit Substantia, præterita atq. omissa, quasi nunquam ea mota fuisset, mordicus apprehendunt alteram propositionem, priori obiectam, quod peccatum sit Accidentis vitium, & vocem Accidentis lacerare varijs modis tentant, veluti catelli panniculos cū fremitu lacerare solent.

2010. NEc tamen tam de vocabulo litigamus, quam de rebus, quas necesse est impiæ & blasphemæ doctrinæ Manichæorū opponi, nisi velimus admittere, ut tota Biblia, totus Catechismus noster, tota religio nostra radicitus euellatur ac destruat, ut supra euidenter adstruētū est.

211. NEq. etiam nos temerè hanc propositionem confinximus, aut primi in orbe terrarum, hac voce vsi sumus, aut eiusmodi propositionem, Manichæorum dogmati opposuimus, sed vocem, locutionem, sententiam Ecclesiæ Christi antiquæ protulimus, quomodo

H 2

Augu

Augustinus, qui præ cæteris omnibus in errore Manichæorum refutando, fidelem & præclaram operam nauavit, & cæteri, & locuti sint, & scripserint, nempe peccatum Originis non esse Substantiam, sed Accidens. Quale autem id sit Accidens, non ex cæca ratione, non ex Philosophorum literis, sed ex verbo Dei est proferendum, & demonstrandum, vt sæpius monemus.

212. ID verò cum manifestis & luculentis Testimonijs probetur, & imperitis aut pigrioribus ac inertioribus ipsa loca, ipsaq; verba publicè annotentur ac commonstrentur, cur non morosi & peruersi homines, antiquis Ecclesiæ doctoribus prælium indicunt, atq; ostendunt eos non rectè locutos esse, neq; sua ætate Manichæos dextrè refutasse?

213. NOBIS autem in præsentia satis sit, Ante nos in eodem certamine contra Manichæos, (eadem hæc verba proferentes, quod peccatum sit Substantia) Ecclesiam Christi vsam esse hac propositione, peccatum Originis non est Substantia, sed Accidens. Testimonia iam impressæ extant. Si quis igitur in clara Meridie cæcutiat, ac nolit inspicere loca, sibi tam perspicuè monstrata, an non flagitiosè malus & petulans existimandus est?

214. VERùm probationes etiam in medium adferendæ sunt, vt videant piæ mentes, rectè in hac controversia antiquos Ecclesiæ Christi Doctores, & nos hoc tempore, contra Manichæum errorè hac propositione vti. In ea enim parte, cardo negotij consistit. 215. E.

215. *Equidem pio & moderato, & non prorsus moroso homini satis foret, si audiret, euidenter demonstratum esse, ut quidem haecenus Deo praelucente est demonstratum, quod peccatum Originis Non sit Substantia. Nam hinc animaduverteret ex aduerso, peccatum Originis rectè dici Accidens vitium. Verùm cum fascinum ex falsis dogmatibus, sit graue, & in multis incurabile malum, nisi Deus mentis oculos benignè irradiet: Ideo non grauatim plura Argumenta, quantum in propositionibus quidem licet, nonnihil delibanda sunt.*

216. *Constat Normam iudicij in controuersijs doctrinarum in Ecclesia Dei, esse verbum Dei, ut vel liquè dissimè demonstratur, dogma expressis verbis scripturae sacrae constare, vel euincatur, equipollentes locutiones in verbo Dei inueniri, vel bona Ratiotinatione ex illustribus sacrarum literarum dictis, extrui, hoc est res ipsas verbo Dei comprehensas esse. Haec est illa fidei Analogia, de qua Roma. 12. precipitur.*

217. *Iam subiectum, hoc est peccatum Originis, non sic appellari in sacra scriptura, sed vocem peccati sic interdum vsurpari certum est, ac res ipsae ibi traduntur. Non igitur haec verba, quibus Ecclesia, docendi gratia utitur, repudianda sunt.*

218. *Predicatum verò, est Accidens, itidem non reperitur, talibus Syllabis in Biblijs praedicato esse annex*

um, sed Ecclesia sic locuta est ante mille annos, docendi gratia contra Manichæum dogma, videlicet peccatum Originis est Substantia.

219. Iam Æquipollentes locutiones ac prædicationes de peccato Originis, in verbo Dei extare non est obscuro, modò Spiritus sanctus aperiat oculos. Nam S. Paulus inquit, τὸ κακὸν ἐμὸι παράκειται, Malum mihi adiacet, Lutherus es hanget mir an. Malum ibi vocat ipsum peccatum Originis, sicut paulò superius inquit. Non bonum habitat in me, quæ quidem oratio luculenter docet, Paulum hic, Malum, item non bonum; pro Originis peccato in hac quidem sententia usurpare. Nam etiam pro actualibus peccatis hanc vocem ponit, id quod ex adiunctis vocibus æstimandum est. Ac bis quidem eo in loco ponit παράκειται. Ut, ipsum velle mihi adiacet, unde fit manifestum, eum his verbis, ipsum velle, non Substantiam exprimere, sed quiddam in Substantia hominis. Nam ipsum velle, non est Substantia, licet anima aut cor sit Substantia, quorū motus & facultates sunt velle.

220. Mihi igitur adiacet malum inquit: Attende, loquitar de se tanquam subiecto, & tanquam Substantia sua, Mihi ait. Deinde addit, huic suæ Substantiæ, adiacere Malum. Hoc igitur est vitium in subiecto Iam perpende, quàm portentosam his verbis Pauli, sententiam adferat Manichæum dogma, si applices, hoc modo,  
do,



do, Substantia adiacet mihi, seu, Substantia adiacet Substantia.

221. Quidquid igitur ADIACET Substantia Pauli, meritò dicitur Accidens Substantia Pauli. Iam Paulus inquit, Malum sibi, nota sibi adiacere. Ergo idem dicit, quod alijs verbis ab Ecclesia effertur, peccatum Originis est Accidens in Substantia Pauli, & non est ipsa Pauli Substantia.

222. IMò ipsemet inquit eo ipso loco, sese liberatum iri ab hoc malo per Iesum Christum. Itaq; testatur, mutabiliter in se esse peccatum Originis, tanquam Accidens, quia Christum dicit amoturum esse hoc malum à sese.

223. ITEM S. Paulus inquit, peccatum INTRASSE IN OMNES HOMINES. Roma. 5. Etsi autem iam in procreatione carnali, non extrinsecus accedit lues ista Originalis, quia inest semini ipsi, ex quo homo nascitur, tamen respectu primi hominis, & respectu propagationis, rectè loquitur Paulus, peccatum Originis INTRAVIT, & INTRAT in omnes homines.

224. Iam cum omnes homines dicit Apostolus, Annon Substantias humanas exprimit, constantes corpore & Anima? Deinde in Substantias humanas inquit

H 4 IN

**INTRARE.** Quidnam? Substantiam? Non sic loquitur, non sic docet Paulus, sed **PECCATUM** inquit intrare homines. Ergo peccatum intrans in homines, in Substantias, non est Substantia. Atq; hic iterum observa, quam monstrosam glossam Manichæorum dogma, S. Pauli verbis additurum esset, si diceretur, Substantia peccatum, intrauit in omnes Substantias.

225. **IN**de igitur patet, consonare phrasin Pauli, cum ea qua Augustinus & Lutherus, & omnes rectè sentientes vsi sunt, peccatum Originis accessisse ad humanam Naturam. Et idem esse, peccatum Originis est Accidens vitium, & non est ipsa hominis Substantia, licet totam Substantiam vitiarit.

226. **Q**uod etiam extergendum sit peccatum ex Substantia credentium in Christum, omninò paulò ante est demonstratum, & Esai. 66. & Apocal. 21. clarè traditur.

227. **Q**uidquid igitur intrat & extergitur è Substantia humana, id respectu eius Substantiæ, sine errore dici potest, accedere & discedere, hoc est esse Accidens. Sed de peccatò sacra Testimonia hoc profitentur. Quid igitur vel rudes temerè querulantur, vel maliciosi improbè criminantur?

228. **Q**uicquid inhabitat hominem, hoc est totam hominis Substantiam, corpus & animam omniaq; membra,  
ac pel.

ac pellendum est ex homine, hic quidem inchoatiue, istic vero perfectiue, id non potest dici Substantia, sed est Accidens. Nam quia remouendum est ex ea Substantia, ideo certum est Accidens esse.

229. *SEd* S. Paulus inquit, peccatum in se habitare. In sese inquit, id est in sua Substantia tota, in corpore & Anima. Non ait hoc loco, Substantiam suam totam, habitare in sua tota Substantia. Nec dicit corpus & Animam, habitare in suo corpore & Anima, quod quidem portentum, ex Manichæorum monstro enascitur.

230. *ERgo* quod Paulus inquit, peccatum in ME habitat, & Augustinus dixit, peccatum est Accidens vitium in homine, est idem.

231. *COrruptio* hominis, id est Substantia humana, est Accidens. Nam hæc corruptio Substantiam inuadit ac deprauat.

*I*am sacra litera tradunt, homines, hoc est Substantias humanas esse corruptas peccato. *Psal.* 13. 51.

*ERgo* peccatum dici meretur Accidens, videlicet tale, quale sacra litera describunt.

232. *Eiusmodi* Argumenta plurima ex verbo Dei, bona ac firma consequentia texere possemus, verum cum ex doctrina, supra ex verbo Dei, proposita, facile perspicui & colligi queant, breuitatis gratia iam hoc labore supersedendum censeo.

233. *ET* iudico Argumentum in libello meo, de peccato expositum, immotum & perspicuum esse.

234. *CVi* conuenit definitum, ei conuenit definitio.

235. *SEd*: Non esse Substantiam ipsam, in qua hæret, Et, esse in alio mutabiliter, est definitio Accidentis.

236. *ET* hæc tribuuntur peccato Originis, nempe quod non sit Substantia hominis, & quod ex Substantia hominis remouebitur iterum omnino virtute & omnipotentia diuina sicuti & illa

I

expur-

Expurgatio in hac vita in credentibus per Spiritum sanctum incas-  
atur.

ERgo de peccato Originis verè & rectè dicitur, quod sit  
Accidens.

237. SI Ecclesie sermone uti licet, & praesertim eò, quo in  
certaminibus vsi sunt, hac etiam ratione euicta res est. Nam con-  
tra Manichaeos, & contra haec ipsa verba: Quod peccatum Ori-  
ginis sit Substantia, Augustinus & alij claris verbis pronuncia-  
runt, peccatum Originis NON esse Substantiam, sed accidens vi-  
tium uti dictum est. Et haec pars in secunda disputatione luculen-  
ter & copiose, ad oculum demonstrabitur. Ei igitur haec Testimo-  
nia sunt reseruanda.

238. SIC & nostrae aetatis Doctores, vel hoc ipso vocabulo  
Accidentis vsi sunt, vel Equipollentibus. Ac libet in praesentia  
tantum unicum Testimonium adscribere, & quidem propinquum,  
ut constet, in aula Illustrissimi principis publice quoque sic esse do-  
ctum. Nam M. Iohannes stolius in contion. funeb: Electo Io-  
ha. Frid. & coniugis, laudatissimae foeminae, C. 3. a. scribit. Sün-  
de ist der vnflat / den der Sathan in vnd andie schö-  
ne Creatur geflickt hat / Den wil der trewe Gott  
ausfegen / vnd mit dem Tode tilgen / Es sol ACCI-  
DENS SEPARABILE sein an den Kindern Gottes / wie  
eine Mutter vom leiblichen vnflath / das kind im bad  
reiniget vnd weschet etc. Non igitur est noua aut infrequens  
locutio, etiam in hac Ecclesia, peccatum Originis est Accidens.

239. I. Vtherus non dixit, peccatum Originis esse Substan-  
tiam, & quomodo suas phrasas peculiare, ipsemet perspicue in  
continenti euoluerit ac declararit, id in tertia disputatione, ius-  
sante Deo demonstrabitur, ad quam quidem hanc partem reijcio.

240. Postremo ipse Chorasus ac Dux recentium Manichaeo-  
rum

rum vtrò ac palàm, in libris suis profitetur, inter hæc duo nimirum Substantiam & Accidens, in præfenti disputatione nihil esse medium, & oportere peccatum Originis aut Substantiam aut Accidens dici, ac delirant prorsus, qui dicunt ab utraq; voce in hac disceptatione discedendum esse, delirant & illi qui medium inter veritatem & mendacium astucè quarunt. n

241. Est autem ex verbo Dei planè ac dilucidè demonstratum, peccatum Originis non esse Substantiam. Obtinet igitur palmam inuicta veritas, rectè in hac controuersia, vbi Manicheorum dogmati occurrendum est, dici, peccatum Originis esse Accidens, videlicet tale, quale in sacris literis describitur, vnde sunt ista res promende.

242. Temeritatem recentium Manicheorum in peruertendis & detorquendis phrasibus ac dictis scripturæ sanctæ, omnes pij procul dubio facile animaduertent & detestabuntur, vt sunt peruersum cor, id est, peccatum Originis est ipsum cor. Vetus Adam id est peccatum est homo, vel Substantia. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum, id est peccatum est anima ipsa. Peccatum est Anima id est, peccatum est Substantia &c. quæ quidem res peculiarem tractatum requirunt.

243. EX hisce igitur, Dei beneficio, elucet, quam sit impia, quam blasphema, quam perniciofa doctrina Manicheorum: Quod peccatum Originis sit Substantia: Quia videlicet tota Biblia labefactat & deprauat, & totum Catechismum Lutheri eneruat ac destruit, & monstra ingentia, horrenda, innumera gignit, qualia vix vnquam ante in Ecclesia Dei vel visa vel audita sunt. Crescit enim in hoc fine mundi furor Diaboli & potentia præstigiatorum.

244. Quapropter hoc dogma, peccatum scilicet Originis est Substantia, iure ac meritò, prælucente ac iubente verbo Dei, ex

nostris pectoribus, ex nostris Ecclesijs, ex nostris Scholis, elimi-  
namus, exterminamus, profligamus, vt scilicet puritas doctrinae  
sacrae, & integritas Catechismi sancti nobis constet. Relegamus  
autem illud in aeternas Manichaeorum tenebras & lacunas.

Postremo Oramus, Iesum Christum, Dominum nostrum,  
Doctorem Ecclesiae suae perpetuum vt per Spiritum suum san-  
ctum, omnes a veritatis via aberrantes, in rectam semitam be-  
nigne iterum reducat, ne sibi alijsq; exitum accersant, & om-  
nes pertinaces, qui neq; videre, neq; audire volunt, sed perpe-  
tuis turbationibus Ecclesiae Christi gaudent, potenter coherce-  
at ac reprimat, Confessores deniq; incorruptae doctrinae,  
in tantis afflictionibus, molestijs & periculis,  
Clementer tueatur atq; confirmet.

Amen. Amen.

Gloria fit Deo, Creatori omnipotenti,  
& eius Veritati.

Emendanda.

1. naturaliter sicuti debebat. 16. Sit. 37. seu creauit. deletur. 51. per-  
tineant. 117. quae. 130. Sophistica. 149. fluctus. effundunt. 150. Ver-  
tumni. ista. 156. non sunt. 162. contendunt. 163. ipsamet. 165. ipsamet,



Aug. VI 63

ULB Halle 3  
003 877 892




Sb.









12

I.

DISPUTATIO.  
DE PECCATO ORI-  
GINIS, EX VERBO DEI,  
IN ACADEMIA  
IENENSI.

CONTRA  
MANICHÆOS.

*Ad diem 5. Martij Anno 1572.*

IVSSV ILLUSTRISSIMI DV.  
CIS SAXONIÆ publicè, Deo Re-  
gente & benedicente instituta,  
præsidente D. Iohanne VVi-  
gando Superintenden-  
te, & Professore  
Theologiæ.

IENÆ

Ex officina Donati Ritzenhani.  
Anno Christi 1572.